

Aqua, e capite decidens, dum Sacerdos eam versat; non enim supra faciem versanda est, sed supra verticem capitis.

43 Forma, *Ego te baptizo*, dicenda est semel, ne Sacerdos videatur reiterare Baptismum. Prima fusio per se Crucem formabit; secunda, et tertia similiter, et uniuersum inhaerebit una Persona Sanctissimae Trinitatis, adeo ut antequam dicatur *Sancti*, sit iam completa tertia crux, et tertia effusio. Tota forma pronuntianda usque ad *ly Sancti* inclusive: et hoc fit ex institutione hujus Sacramenti tunc cum Jesus Christus dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Matth. 28. Aliter Baptismus absque tota hac forma collatus non valeret. Quod in administratione aliorum Sacramentorum non est de substantia Sacramenti.

44 Nihil loquitur textus de abstersione Infantis post laverum in parte, qua madefactus est: Hanc debet facere Sacerdos, qui baptizavit, linteolum candidum ad hunc usum tantummodo destinatum adhibendo, leniter, et suaviter tergens caput Infantis Aqua humefactum.

§. XX. Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit Infantem, et advertens ne laedatur, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit N. etc.

45 46 Consuetudo haec baptizandi per immersionem approbata est ab Ecclesia, sed non ubique locorum fidelium est in usu. In Ecclesia Ambrosiana perpetuo retenta est, et ab ea recedere non licet. De modo tenendo in administrando Baptismo hoc ritu, exponunt quae necessario observari debent *Acta Mediol. Ecclesiae P. 4. instruct. Bapt. ad Sacramentale Ambrosianum, pag. mihî 411.* quae hic repetere non juvat: quare ad illud vere aureum Opus remitto lectores meos, non tantum in hoc §. sed in toto Operis hujusmodi decursu. In illo enim tamquam in thesauro multa et quamplurima invenient Sacerdotes, et ministri Altaris, quae ad ministerium suum perfecte implendum juvabunt; nec illis opus erit ad alios Doctores accedere.

§. XXI. Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul Infantem de sacro Fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

47 Matrina significat idem ac Mater spiritualis, seu Foemina, quae suscipit Infantem in Sacramento Baptismi, vel Confirmationis, eo modo, quo Patrinus dicitur de Masculo. Item Novercam significat, *l. nulli liceat, de Success.* Macri *Hierolex.* Totus iste §, spectat ad ritum Ambrosianum, baptizandi per immersionem.

§. XXII. Si vero dubitatur an Infans fuerit baptizatus, utatur hac forma: N. si non es, etc.

48 Iste modus baptizandi vocatur Baptismus sub conditione, et sit tunc quando clare, et evidenter non constat, Infantem, seu quemcumque baptizandum non esse baptizatum valide; et in omnibus casibus jam supra in his Commentariis explicatis, et a textu assignatis, et praecipue ad titulum, ubi de Monstris sermo habetur, et de partu Caesareo.

§. XXIII. Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit Infantem in summitate capitis, in modum Crucis dicens, etc.

49 50 Intingit, non immergit, quia sufficit, ut digitus pollex sit in summitate tantummodo intinctus Oleo, non inundatus, aut stillans, ob periculum effusionis. Hoc fit ex institutione S. Silvestri Papae propter occasionem transitus mortis. Non ungitur frons, quia hoc tantummodo Episcopo licet, sed vertex, aut summitas capitis. Macri verbo *Chrisma.* Sed non per hoc quod illa unctio facta sit cum Chrismate dici potest quod sit confirmatio, seu Sacramentum. Confirmationis enim minister est solus episcopus: Igitur est unctio facta ad corroborandum Baptizatum in fide suscepta, nec ista de se imprimat Characterem, quia non est sacramentum, sed tantum complementum sacramenti ordinatum in concilio Arausicano relato a Coninck, de sacr. qu. 71. de caerem. Baptismi art. 2. dub. unic. n. 17. de caerem. Baptismi art. 2. dub. unic. n. 17. *Nullus.* (inquit Con.) *ministorum qui Baptizandi recipit officium sine Chrismate necquam debet progredi etc.*

Episcopi olim soli Baptizabant, et unico contextu confirmabant, et remansit in ritu ista caeremonia.

§. XXIV. Tum bombacio, aut re simili abstergit polli-

cem suum, et locum inunctum; et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albae, dicens, etc.

51 De hac abstercione vide ea, quae supra diximus ad §. 17. hujus Tituli. Quovero ad linteolum, seu sudariolum album, hoc imponitur loco vestimenti, et debet esse in Baptisterio paratum, nec cogi possunt ad illud deferendum, et praestandum, qui Infantem ad Baptismum ducunt. Mos antiquissimus fuit baptizatos statim induere vestibus albis, de quibus Lactantius *de Res. Dom. Fulgentes animas vestis quoque candida signat: et Grege de niveo gaudia Pastor habet.*

52 Signat vestis alba innocentiam, quae in Baptismo confertur: item spiritualem nativitatem, et Resurrectionem futuram. Portabatur septem diebus, et deponebatur octava die Paschae, quae ideo vocatur Dominica in Albis. Sacrum etiam velamen imponebatur in capite baptizatorum, ob reverentiam chrismatis, et duravit iste usus usque ad annum 1090. post quem introduxit Ecclesia abstersionem cum bombacio, Vicecom. *de antiq. Baptism. tit. lib. 5. cap. 17.*

§. XXV. Postea dat ei, vel Patrino candelam accensam, dicens, etc.

53 Pariter ista candela debet esse parata in Baptisterio: si vero ab iis qui baptizandum deferunt, offeratur, haec eadem debet omnino accendi, non vero alia jam alias accensa. Insuper debet esse ex cera alba, nisi consuetudo sit offerendi candelam ex cera virgine. Quaecumque vero sit, ad usum Parochi remanet, nec est restituenda, nisi consuetudo sit in contrarium; prout in Ecclesia Cathed. Bergomensi, ubi oblatio cereorum facta pro baptizato, spectat ad Capitulum illius Ecclesiae. *Ceraemon. Eccl. Bergom, impress. 1568: de cap. Fonte Bapt. pag. 23.*

54 Dat Sacerdos istam candelam accensam baptizato, vel Patrino ad significandum quod ad Ecclesia venit lumem Dei, nec Patrinus accendi illam, neque baptizatus si esset Adultus, quia ex se nihil potest homo, et omne bonum desursum est descendens a Patre luminum.

XXVI. Postremo dicit: N. vade in pace, et Dominus sit tecum, etc.

55 Datur haec salutatio noviter baptizato, loco osculi, quod olim eidem infigebat Minister, S. Cyprian. *ep. 59. ad. Fid. Episc.* Tum ad innuendam pacem, gratiam, et charitatem Christi, tum ad significandam parentelam, et cognationem spiritualem initam in Sacramento Tertullian. *de veland. Virg. Baron. Ann. 294.* Et omnes adstantes congratulabantur ei, Nicephor. *l. 3. hist. Eccl. cap. 37.* Haec est ultima pars ministerii adhibendi a Sacerdote in baptizandis praecipue parvulis. Nonnullae observationes veniunt faciendae in aliquibus casibus particularibus prout sequitur in proximo paragrafo.

§. XXVII. Si vero fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive foeminae, in Catechismo masculi statuuntur ad dexteram: Foeminae vero ad sinistram, et omnia pariter dicantur ut supra in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio, tactus aurium, et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum interrogatio de fide, seu symbolo, et ipse Baptismus, inunctio chrismatis, candidae vestis impositio, atque accensae candelae traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde foeminis fieri debent.

56 Nonnisi absque urgentissima causa, haec Rubrica, et ejus Regulae sunt adhibendae, nempe in casu conversionis ad fidem multarum familiarum Infidelium, et pene innumerabilium personarum, tempore alicujus suspicionis, invasionis, incendii, vel alicujus magni periculi. Extra hos, vel similes casus, Sacerdos si baptizaret plures Infantes, unico actu, valide faceret, sed illicite; imo peccaret si hoc solummodo faceret, ut citius se expediret, Clericat. *de Bapt. dec. 34. num. 1 usque ad 3.*

57 Dato itaque hoc casu, ad nihilum pene reducitur singularitas formae, seu administrationis; nam in textu assignantur loca praecisa, in quibus actio debet fieri per modum singularis personae, et sunt pene omnia, quae componunt ordinariam regulam baptizandi, adeo ut in plurali numero pauca, imo paucissima fieri possint; unde dici potest, quod hic exceptio regulam firmat.

58 Ideo Masculi statuuntur ad dexteram, quia hoc est privilegium naturae, quod habuit Masculus in prima ejus origine: Com.—P. 16.

Plasmatus enim fuit priusquam Foemina efformaretur: ideoque haec praesentia illi danda est. Igitur in casu a Textu descripto plurali modo potest fieri solus Catechismus, et nihil aliud prorsus.

§. XXVIII. Si infans, vel Adultus aegrotus, adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis quae Baptismum praecedunt, eum baptizet; ter, vel etiam semel infundens Aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens, etc.

59 In casu periculi proximae mortis dispensatur Baptismus a caeremoniis, et actus ad essentiale lavacrum reducitur, omissis accessoriis, quae Baptismum antecedunt: nam quae subsequuntur, fieri, et suppleri possunt juxta tempus superviventiae.

60 Sufficit in hoc casu si semel Aqua effundatur super aegrotum in modum Crucis, nec in casu superviventiae repetendae sunt omissae duae infusiones, et Cruces, quia per unicum actum sit Baptismus, et in una sola Cruce totum continentur Mysterium Sanctissimae Trinitatis.

§. XXIX. Si non habeatur Aqua baptismalis, et periculum impendeat, Sacerdos utatur Aqua simplici.

61 Aqua Baptismalis illa est, quae consecrata, et benedicta est solemni in fonte, ut alibi diximus: sed non semper, neque in omni loco, seu occasione haberi potest haec Aqua: ideo suppleri potest per Aquam simplicem in casu necessitatis, quia Christus contactu suae carnis mundissimae omnem Aquam consecravit in usum Baptismi, Clericat. *de Confirm. dec. 54. num. 9.* Clare. enim sonant illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei:* Non dicitur *Aqua consecrata*, sed *Aqua simpliciter*, quia etiam usus fuit Apostolus in baptizando Eunucho Reginae Candacis, *Act. 8.*

§. XXX. Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens, etc. Postea dat ei linteolum candidum, dicens

etc. Ac demum det ei ceream candelam accensam dicens, etc. Si supervixerit, suppleantur alii Ritus omissi.

Optime advertit in hoc loco Textus: *Si habeat Chrisma, etc.* quia in casu necessitatis procul a Sacro fonte, non solent haberi vasa Sacrorum Oleorum: sed potest dari quod providus Sacerdos vocatus ad baptizandum in casu necessitatis, vasa illa secum deferat. Si igitur habet, liniat: si secus absteineat.

Caetera in hac rubrica praescripta satis fuere explicata in §. 23. et seqq. hujus Tituli, ideoque hic repetenda non sunt.

Superest ut dicamus aliquid de supplemento caeterarum caeremoniarum, et Sacramentalium: sed de his dicemus in particulari titulo, *de Ordine supplendi omissa super Baptizantum*, suo loco.

§. XXXI. Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizati-que Patre, et Matre, quae cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

62 Non inutiliter quandoque ista admonitio facienda esset antequam Patrini susciperent baptizandum, praecipue Personis rusticis, quia saepe datur casus, in quo neuter illorum notitiam habeat hujus spiritualis cognationis, quam si scirent, se a suscipiendo Infante abstererent, ob spem aliquam futuri conjugii cum Patre, vel Matre baptizandi, si Viduitatis casus daretur. Atque hoc in praxi nimis verum est.

63 Cognatio ista est quaedam parentela spiritualis, quae inducit vinculum tale, ut matrimonium contrahi nequeat inter Patrinum, seu inter Matrinam et Patrem, seu Matrem suscepti, Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. matrim. c. 2.* quae cognatio spiritualis non contrahitur inter ipsos Patrinos, neque a Viro contracta transfertur in Uxorem, vel e contra, Barbosa *de Off. et potest. Par. cap. 18. num. 33. 34.* Advertit tamen Laym. *tr. 2. cap. 29. num. 3. vers. 4.* minus decens esse, ut duo Conjuges simul alienam prolem suscipiant, quamvis id consuetudine honestari possit, Barbos. *de ibid.*

64 Impedit igitur, et dirimit Matrimonium haec cognatio spiritualis: impedit ne contrahatur sine dispensatione: dirimit contractum, et inducit, ut non possit peti debitum matrimoniale, dempto casu necessitatis, in quo Infans esset morti pro-

ximus, et nullum haberet susceptorem: sed in hoc casu Ecclesia non praecipit, quod sit adhibendus Patrinus ullus.

Haec oportet, ut innotescant quibuscumque Patrinis, seu Matrinis, ne illos sero poeniteat suscepisse Infantem in Baptismo, et ideo contraxisse huiusmodi impedimentum, a quo solus Pontifex potest dispensare, Corrad. *Prax. dispens. l. 8.* Quod si hoc impedimentum sit occultum dispensatur per Sacram Poenitentiarium.

§. XXXII. Curet Parochus parentes infantis admone-ri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant propter oppressionis periculum: sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Cristianam disciplinam instruant.

65 Origo hujus Rubricae provenit a *cap. de Infant. de his, qui filios occidunt.* Et optime cautum est, ob periculum suffocandi parvulos in eodem lecto cum Genitoribus, seu Nutrice cubantes. In aliquibus dioecesisibus, inter casus reservatos adnumeratur haec detentio Infantium, qui nondum Annum expleverint in lecto, sine repagulo, *Synod. Fanen. a Verme, cap. 6. n. 7.* Quare recentioribus annis repertus est quidam lectulus sejunctus, et positus apud lectum Matris, vel Nutricis, in quo reponitur Parvulus, et de illo suscipitur ad lactandum tempore noctis.

66 De custodia, et institutione filiorum nusquam fatis ob-  
strepunt Dei praecones sacri, et Theologi morales: quare optimum erit, si Parochus in actu Baptismi, Parentes de hac obligatione monitus faciat.

§. XXXIII. Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios Hebraeis, aliisve Infidelibus, vel Haereticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

67 68 Mores cum lacte ebibuntur, ut notat Ramazzin. *de morb. artif. cap. 20.* Nam Nutrices in suos Alumnos, corporis, et animi vitia transferunt. Igitur quaerendae sunt Nutrices bene moratae, et in fide satis instructae: horret enim animus in sola cogitatione mulierem infidelem nutrire Infantem fidelem. E contra prohibitum est dare Infantes Hebraeos nutriendos, seu lactandos nutricibus Christianis. Et hoc clare

habetur ex Constitutione Innocentii IV. Constit. 2. quae incipit: *Impia*, etc. §. 5. et ex Constitutione Pauli IV. Constit. 3. quae incipit: *Cum nimis*, etc. Passerin. *in c. contra Christianam. de haeret. in 6. n. 49.* admittit, quod in casu necessitatis possint eorum arbitrio, Episcopi permittere, ut nutrices Christianae valeat lactare filios Judaeorum.

§. XXXIV. Antequam Infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo, ad praescriptam formam in baptismali libro Parochus accurate describat.

In explicatione §. 19. antecedentis Tituli diximus rationes, propter quas promptus esse debet liber baptizatorum, qui unus est e quinque libris a Rituali Romano praescriptis apud Parochum: Tempus hoc est, quo utatur ipsomet libro, nempe immediate post collationem Baptismi, ne aliquis discedat illorum, qui necessarii fuere in ministrando hoc Sacramento, et ne memoriam deperdat Parochus illius diei, ac aliarum rerum necessarium, ut in libro notentur. Caetera circa hunc librum dicenda sunt in fine horum Commentariorum ad proprium suum Titulum.